





24/138  
1789,4.

COMMVNEM OMNIVM LAETITIAM  
EX RESTAVRATA ACADEMIA PATRIA  
PARTICIPANS,

DE  
**CONCVRSV CREDITORVM  
LITES ALIBI PENDENTES  
NON TVRBANTE,**

PAVCIS DISSERIT,  
ATQVE HANC DISSERTATIONEM,  
CONSENSV AMPLISSIMI IVRECONSULTORVM ORDINIS,  
PRAESENTE PATRE

D. WALTER VINCENT WIESE

IVR. PROF. PVBL. ORDIN.

PVBLICO IN AVDITORIO  
ANNO MDCCCLXXXIX DIE V. SEPTEMBRIS  
HORA ANTEMERIDIANA IX CONSVETA

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS  
**GEORG WIESE**  
ROSTOCHIENSIS.



---

ROSTOCHII,  
TYPIS ADLERIANIS.

COMMUNEM OMNIAM LESTITIA  
EX RESTAVRATA ACADĒMIA PATRIA  
PATRICKIANA

GONCARSĀ CREDITORVM  
LITIS ALIJI FENDENTES  
NON TARBANTH  
PAUCIS DISSETU  
ATQVE HANQ DIBERRATIONW  
CONGENIA A MELISSINI HARDOONASATORVM ORDINIS  
TARANTO TUTTE  
D. WALTER AINGENT WIESE

PARTICO IN VADITORIO  
ANNO MDCCXXXIX DIE A SEPTEMBER  
NON ANTREMENDA IN CONSACRA  
TESTINAT

AVOTOR ET RESPONDENS  
GEORG WIESE



ROSTOCHEI  
LITIS ADEPTIVANIS

DVX SERVIACORNE

SERENISSIMO DVCI ET DOMINO,  
DOMINO  
**FRIEDERICO FRANCISCO,**  
DVCI REGNANTI MEGAPOLITANORVM,  
PRINCIPI VENETORVM, SVERINI ET RACEBURGL,  
COMITI SVERINensi,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DYNASTAE,  
DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO.



SE REINISSIMO DACI ET DOMINO  
DOMINO  
ERIDEDE RICO FRANCISCO  
DACE REGENVNTI MEGEAPOLITANORVM  
PRINCIPI AVANTO RVM SAVILLI ET RACEDABAGI  
COMITI SAVILLIENSIS  
TERRAM VOSTROM ET STARGARDIAE  
DYNASTAE  
DOMINO SAO IONIS CLEMENTISSIMO

DUX SERENISSIME,  
PRINCEPS AC DOMINE LONGE  
CLEMENTISSIME!



 Primus, qui in Alma hac antiqua Rostochiensis,  
 a TE tam benigne restaurata, nascuntur  
 fructus, TIBI vnicē deberi, nemo dubitat. Pro ea igi-  
 tur, quae TIBI a Maioribus TVIS augustis innata est  
 clementia, accipias velim hocce tyrocinium, a iuuene quo-

A 3

dam

DAX SERENISSIME  
PRINCIPES AC DOMINE LONGE  
CLEMENTISSIME!

dam oblatum, ad publice testandum ob Musas vntas  
gaudium. Et si pro Patria meisque conciuibus suppliciter  
rogare licet, pergas quoeso in scientiarum amore et pro-  
tectione, magnos Principes mirum in modum ornante,  
TVAque gratia munifica digneris

SERENISSIME DVX!

TVO NVMINI

Prius dixi in Alio p[ro]p[ter]e seruimus Regnorum  
tempore, quod regnorum, quod regnorum  
Rofeti, die XXIX, Augusti,  
MDCCCLXXXIX.

denotissimum  
GEORG WIESE.



### §. I.

#### *Prooemium.*

**Q**uo audacius et inconsultius videri potest, me juvenem eruditionis specimen, studiis nondum absolutis, publicam in arenam proferre velle, et thesin aggredi, tum clarissimis nominibus firmatam tum a nemine adhuc in dubium vocatam; eo magis ad rationes huius propositi reddendas obstrictus videor. Evidem et his effugere possem generalioribus istis excusationibus: ut conferam aliquid in communem utilitatem et in cultum litterarum, ut ostendam amorem studiorum et quae sunt reliqua; ast ingenuo profiteri malim, aemulationem forsitan non vituperandam, illos imitandi viros praestantissimos, qui abhinc aliquot annos sub praesidio patris mei venerandi disputatione, me excitasse ad similia. Nec minus patris ipsius auctoritas, et desiderium participem me ostendendi communis gaudii ex laeta integratione huius Almae perantiquae obuenientis, me inuitauit ad exequendum propositum. — Electioni vero huius disquisitionis obiecti ansam praebuit quaedam in collegio Pandectarum ab excellentissimo

et

et consultissimo Domino Professore ESCHENBACH, cui hoc loco pro egregia et indefessa manuductione, me grati animi plium testimonium offerre posse gaudeo, facta obseruatio, quam auditoribus suis postea elaborandam commisit, et de cuius veritate me adeo persuasum habeo, ut illam paullulum latius explanatam publico subiicere examini non dubitem. Cuiuslibet interim arbitrio relinquens, quatenus hanc meam opinionem fundatam inueniat, ad quaestione ipsam me conuento.

### §. 2.

#### *Concursus definitio et diuisiones.*

Praemittendi tamen adhuc videntur quidam conceptus generaliores, ad melius constituendum statum controvuersiae et explicandam sententiam. Concursus nempe dicitur is processus, quo bona debitoris, qui omnibus creditoribus satisfacere nequit, ex ordine legali inter hos distribuuntur <sup>a)</sup>. Diuidi solet in vniuersalem et particularem. Vniuersalis habendus est is, qui omnia bona debitoris comprehendit, et omnibus creditoribus patet. Particularis, qui quaedam tantum bona respicit, et quosdam creditores admittit <sup>b)</sup>. Prior regulam facit, posterior vero exceptionem, praecipue si quaedam bona debitoris communis in alieno territorio sita sunt, et singuli creditores ex iis potissimum solutionem urgent. Altera notanda est diuisio in feudalem concursum et allodialem, prout bona debitoris vel in feudis vel in allodiis consistunt. Separanda enim sunt bona, si v. c. debitor communis possidet bona diuersi generis

<sup>a)</sup> CLAPROTHS Einleitung in sämtliche summarische Processe §. 293.

<sup>b)</sup> HELLFELD Iurisprudentia forensis §. 1812.

generis †). Nec minus referenda videtur diuisio concursus in materialem et formalem. Prior adeſt, simulac ad ſatisfaciendum creditoribus, bona non eſſe ſufficientia conſtat, vel ſaltim haec ſatisfacio dubia eſt e). Quando vero formalis adſit, disputatur. Alii affirmant, concurſum inchoare, quando creditores ad formandum concurſum prouocant, alii, quando curaſor bonorum conſtituitur, alii, ſimulac plures creditores ab eodem debitore ſolutionem urgent, alii denique indiſtincte citationem edictalem ut initium concurſus habent d). Verior videtur ſententia eorum, qui ſtatuunt, initium concurſus adeſſe, dum vel communis debitor coram iudice declarat, ſibi facultates ad ſatisfaciendum creditoribus deficere, hinc ipſi bonis cedendum eſſe, vel iudex aut ex officio, aut ad implorationem creditorum, processum concurſus decernit et instruit, ſive citatione edictali, ſive arreſto generali, ſive ſequelatione e). His enim caſibus dubium non videtur, ſine m primarium et effectus ab initio formalis concurſus pendentes, adeſſe.

### §. 3.

#### *Finis primarius et effectus generaliores.*

Finis primarius concurſus vniuersalis omnino in eo ponendus eſt, ut omnia bona praefentia debitoris communis, inter creditores conuocatos et liquidantes, ex ordine legali in eorum ſatisfactionem

†) RICHTER de Concurſu Creditorum c. I. §. I.

c) CLAPROTH l. c.

d) GMELIN vom materiellen Concurs §. 2.

e) Conf. avunculi colendi Domini Doctoris et Senatoris I. H. BVRGMANN diff. de exordio concurſus §. 6, ibique citatae leges.

distribuantur. Proinde omnia, quae hanc satisfactionem bonorum, que distributionem non respiciunt, concursui non suat immiscenda, et potius ut supervacanæ removenda. — Ergo et effectus moti concursus se exserunt, tam in usu et applicatione omnium remedium ad exequendum et promovendum hunc finem primarium, quam in mutuis et novis inde ortis obligationibus et iuribus creditorum inter se, et debitoris communis erga hos, ut etiam ratione litispendentiae. Modus procedendi, qui processum concursus constituit, praesertim hic est: Praeter citationem edictalem pereintoriam, quam in concursa necessariam esse constat, illamque sequentem præclusionem, ut tuto bona distribui queant <sup>f)</sup>; conficitur consignatio judicialis et inventarium. Constituitur deinde curator bonorum <sup>g)</sup>, ut etiam contradictor, qui ad liquidationes et deductiones creditorum, loco debitoris communis respondeat. Laboratur porro quovis modo, ut status activus bonorum certior fiat, vindicando illicite alienata, condicendo iniuste soluta, exigendo nomina activa, disponendo de locatis et depositis, prætereaque ad massam bonorum pertinentibus <sup>h)</sup>; separantur denique, quae non in distributionem veniunt, venduntur bona extantia publica auctionis lege, et in numeratam rediguntur pecuniam <sup>i)</sup>, quae tandem auctoritate judiciali, deductis expensis, inter omnes credores ex prioritate et quantitate debiti distribuitur. Quae autem bona emtores non invenerunt iustos, creditoibus secundum taxam

addi-

<sup>f)</sup> L. 73. D. de iudiciis (V. 1.)

<sup>g)</sup> L. 14. pr. L. 15. D. de rebus aust. iud. poss. (XLII. 5.) L. 2. D. de curat. bon. dando (XLII. 7.)

<sup>h)</sup> §. 6. Inst. de action. L. 6. 7. D. quae in fraud. cred. (XLII. 8.)

<sup>i)</sup> L. 1. D. de rebus aust. iud. possid.

addicuntur legalem. — Iura et obligationes, quae creditores moto concursu inter se nanciscuntur, praecipue sunt sequentia. Communem possessionem bonorum adipiscuntur ad vendenda ea, minime vero dominium <sup>k)</sup>; nec quis prae altero satisfactionem ex bonis durante concursu petere potest, sed illam ex sententia prioritatis et distributionis exspectare debet <sup>l)</sup>. — Formalis tandem concursus debitori communii omne ius disponendi et administrandi adimit, ut igitur nec valide alienare, nec solvere, nec hypothecas constituer possit; sicuti etiam contra eum executiones et arresta specialia locum non amplius inveniunt <sup>m)</sup>.

### §. 4.

#### *Quæstio ipsa, et status controversiae determinatio.*

Vt effectus denique moti concursus, ratione litis pendentiae allegari solet illa regula, quam praecipue HELLFELD generalissimo proposuit sensu <sup>n)</sup>, quamque ideo ipsius verbis referre liceat. „Inde

<sup>k)</sup> L. 4. C. qui bon. ced. poss. (VII. 71.) L. 8. C. de bon. aut. iud. poss. (VII. 72.)

<sup>l)</sup> Quænam sit iura et obligationes creditorum inter se ante motum formalem concursum, communem tamen caussam contra debitorem agentium, discussit Pater et Praeses in tractatu: *Von den Rechten und Verbindlichkeiten der Gläubiger, sowohl unter sich, als auch gegen den gemeinschaftlichen Schuldner, bei einem gemeinschaftlichen Betrieb ihrer Angelegenheiten, conf. Dessen Sammlung iuristischer Abhandlungen* pag. 48. seq.

<sup>m)</sup> L. 6. §. 7. D. quae in fraud. cred. (XLII. 8.) LEYSER sp. 478. med. 7. CLAPROTH I. c.

<sup>n)</sup> In Iurisprudentia forensi §. 1814.

„est, inquit; quod concursus universalis sit judicium uniuersale, et  
 „omnes processus alibi pendentes, immo quoque concursus particula-  
 „res ad se trahat in eo statu, quo tempore moti concursus fuerunt  
 „in foro speciali.“ At quidem saepissime obueniunt casus, in quibus  
 applicatio regulae deficit, ab eaque exceptiones fiunt, et processus se-  
 cundum hanc regulam in foro concursus ventilandi alibi pertractan-  
 tur. Non inutilis ergo videtur disquisitio, paucis iamiam nunc in-  
 situenda, vtrum haec regula vel in totum vel in tantum fallat, et  
 quaenam adsint exceptiones in iure nostro fundatae? — Ad rite  
 vero constituendum statum controversiae et decidendam quaestionem  
 motam, monendum videtur, sermonem non esse de actionibus in  
 ipso foro concursus contra debitorem iam pendentibus, quippe quae  
 indubitate ad concursum trahuntur, nec de iis instituendis, quae mere  
 ad satisfactionem ex bonis praesentibus tendunt, et omnino in foro  
 concursus sunt ventilanda, sed de ceteris actionibus in aliis foris vel  
 iam institutis vel adhuc instituendis.

### §. 5.

#### *Doctorum Opinions.*

Licet quisque iurium non omnino ignarus primo iam intuitu  
 perspiciet, illud Hellfeldianum nimis late expressum, nec secundum  
 praemissa antecedentia satis determinatum esse, tamen communis et  
 indiuisa Doctorum opinio supramemoratam regulam quoad thesin  
 primariam tuetur. Horum plurimi interim eam magis determina-  
 re student, mox restringendo ab eaque excipiendo singulos casus,  
 mox illam aliter exprimendo, mox declarando. Cuius probandi  
 gratia licet praecipios Doctores, qui mihi in promptu fuerunt,  
 allegare,

allegare; eorumque diversas sententias paucis referre. Inter nos  
vissimos, qui praecepit in processum conuersus inquisiverunt et  
hanc supradictam regulam tetigerunt, eminet CLAPROTH<sup>n</sup>), qui omnium potissimum eam restringit, ab eaque plurimas exceptiones proponit, infra suo loco referendas, attamen non satis determinat nec legibus aliisque rationibus probat. Par huic est G.M.E.  
LIN<sup>o</sup>) qui vestigia HELLFELDT sequitur, attamen regulam, de  
qua sermo est, de processibus in eodem territorio pendentibus  
tantum valere censet. Cum hoc fere convenit LUDOVIC<sup>i</sup> P<sup>o</sup>), a  
regula tantum actiones contra tertium et a debitore communii motas  
excipiens. Addendum adhuc videtur BRYNNEMANN<sup>g</sup>), indi-  
stincte omnes actiones speciales antea motas suspendendas et ad  
concursum remittendas esse iudicandas. Ex turba ceterorum Docto-  
rum sufficiet praecipios allegare, quibus annumero M E V I V M<sup>r</sup>), qui regulam allegatam restringit ad actiones de credito solvendo  
adversus debitorem communem, et remissionem eorum ad con-  
cursum, „ex rationabili consuetudine iudiciorum fieri“ docet.  
Quem sequitur LEYSER<sup>s</sup>) qui regulam quidem ad concursum uni-  
v. Einleitung in sämtliche summarische Processe. §. 297. ut et §. 347.  
nom 348. 349. v. Lehre vom materiellen Concurs, §. 21.  
p) Einleitung zum Concursproces, cap. I. §. 4. seq.  
2) De Processu Concursus Creditorum cum notis STRYCKII §. 8.  
In notis vero dictum restringitur ad casum, si concursus ab ipso de-  
bitore motus est.  
r) In Decisionibus, Parte 8. dec. 158.  
s) In Meditationibus ad Pandectas Spec. 478. med. 9.

versalem restringit, ast ita decisam et probatam credit, vt ne inhibitionem quidem et litteras requisitoriales in finem remittendorum actorum necessarias putet, sed huic negotio citationem edicalem sufficere opinetur. Cui adiungendus est WERNHER<sup>2)</sup> indistincte „omnes praetensiones, cuiuscunq; generis sint, ad concursum „universalem trahi“ dicens. Tandem huc referendus est BOEHMER<sup>2)</sup> restringens se se ad actiones in satisfactionem ex bonis debitoris tendentes, et illas a debitore ipso institutas, excipiens. Superfunt adhuc multi alii Auctores, quos MÜLLER longa serie recenset<sup>3)</sup> quosque omnes repete neque spatium destinatum neque tempus permittunt. Sufficiant ergo hi pauci. Notandum autem est, omnes fere hos Doctores et quotquot ceterorum percurserre potui, non tam ad leges provocare, quam vel mediate vel immediate, ad SALGADO DE SAMOZA<sup>2)</sup> et ad rationes ex eius opere desumptas. Qui quidem vir, magno cum dispedio eruditiois et laborum, omnes leges et rationes pro hac thesi militantes colligere studuit, ast me iudice illam nequaquam penitus probavit. Interim tamen communis Doctorum opinio minime negari nequit, regulam affirmans: concursum universalem, qua iudicium universale, ad se trahere processus omnes singulares alibi pendentes, ut etiam concursus particulares in eo statu, quo fuerunt tempore moti concursus. Sed quum hodie omnino ex senioribus principiis auctoritas.

<sup>2)</sup> In selectis observationibus forensibus. T. 2. P. 10. Obs. 297.

<sup>2)</sup> In Introductione in Ius Digestorum. Lib. 42. Tit. 5. §. 17.

<sup>2)</sup> In Promtuario Iuris novo, voce concursus n. 47. seq.

<sup>2)</sup> In Labyrintho Creditorum Parte I. cap. 3. et seq.

tas Doctorum valde sic immixta, nec communis opinio legem faciat, vel controversiam decidat, nisi vel ipsis legibus respondeat, vel aliis tam legitimis quam analogicis rationibus sustulta sit, nec in ipsa applicatione cum aliis indubitatis principiis collidat; omnino operae pretium videtur, hoc easu paullulum in fundamenta ac rationes huius sententiae inquirere, praeceps quum saepissime quaestio summi ponderis evadere possit. Quod quidem iam, quantum vires permittunt, perficere tentabo. Perscrutandum inde erit, quae sint leges, quibus sententiam directe evincere cupiunt, et quantum probent? — quae sint deinde alias rationes et fundamenta legitima ac analogica, quibus regula innatur, et quatenus haec sufficiant? — et denique qualen applicationem in singulis processuum generibus et praeceps actionum speciebus patiatur, vel non patiatur?

### §. 6.

*Leges, et quid probent?*

Quod primum igitur ad leges attinet, quae thesin prolatam directe probare dicuntur, illiae neutiquam ita sunt comparatae et tam clarae, ut ex iis regula certa constet. Quod et ipsi illius defensores confitentur <sup>a)</sup> ideo ad analogicas rationes confugientes. Attamen non irriti laboris videtur, praeceps earum recensere et inquirere, an et quid probent? Atque hoc refero L. 54. D. de iudicis (V. 1.) ita se habentem: *Per minorem causam maiori cognitioni praeiudicium fieri non oportet: maior enim quaestio minorem causam ad se trahit.* Sed haec lex, quamquam primo ad-

*speciu*

<sup>a)</sup> LEYSER sp. 478, med. 9. SALGADO DE SAMOZA p. I, c. 4.

specie clara, nihilominus ambigua est et obscura. Non enim patet, quae sit major et quae minor causa; nec quid verba; cogitio et quaestio, sibi velint, nec utrum ad concursum applicari queat lex, cuius contrarium tamen ex sequentibus apparebit. Obscuram hanc esse legem et minime sufficientem inde quoque probatur, quod solus SAGADO DE SAMOZA illam alleget <sup>y)</sup> et tantum semel. Praeterea et in casibus concursui similibus vlo est desituta, etiam concedere velimus, maiorem causam esse illum processum, a cuius decisione minorum actionum definitio pendeat. Exemplum argumento sit. Quis enim defendet, illud forum, in quo de valore testamenti cuiusdam agitur, etiam ceteras actiones ex testamento contra heredem scriptum ad se trahere? Nemo certe! Nec BRUNEMANNUS in commentario ad hanc legem has difficultates tetigit et removit. Altera lex, ad quam MEVIVS provocat <sup>z)</sup> et quae huic iungenda, est L. 12. D. de reb. auct. iud. possid. (XLII. 5.) his verbis concepta: *Cum unus ex creditoribus postulat, in bona debitoris se mitti: quaeritur utrum solus is, qui petit, possidere potest, an cum unus petit, et praetor permisit, omnibus creditoribus aditus sit.* Et commodius dicitur, cum praetor permiserit, non tam personae solius petentis, quam creditoribus et in rem permissum videri: — — quia nec sibi quicquam adquirit, cui praetor permittit; sed aliquid ex ordine facit, et ideo ceteris quoque prodest. Sed quisque perspicit, ex hac lege directam probationem nullo modo colligi posse. Et si quam analogicam continet rationem, certe admodum infirma est, nec ad probationem sufficit.

Quum

<sup>y)</sup> P. I. c. 3. n. 4.

<sup>z)</sup> Parte 8. Dec. 158.

Quum enim iubet, uno creditore immisso ceteros quoque creditores immissos censendos esse, exinde non aperte sequitur, illos opertore in foro datae immissionis ius suum persequi. Potius ut beneficium iis concessum habendum est, cuius usus penes ipsos stat, ad quem autem cogi nequeunt, et quod verbis: „creditoribus omnibus aditum esse — permisum esse — illis prodeesse“ exprimitur.

### §. 7.

#### *Continuatio.*

Accedam ab aliam legem, scilicet *L. 10. C. de iudiciis* (III. 1.) sequentis argumenti: *Nulli prorsus audientia praebatur, qui causae continentiam diuidit, et ex beneficii praerogativa id, quod in uno eodemque iudicio poterat terminari, apud diversos iudices voluntari ventilare: poena ex officio iudicis imminentis ei, qui contra hanc supplicaverit sententiam, atque alium super possessione, aliud super principali quaestione iudicem postulaverit.* Sed haec quoque lex multis difficultatibus ad thesin probandam laborat. Primo enim non constat, quid uno eodemque iudicio intelligatur, vtrum instantia an forum? In connexione quidem primum instantia, ex subsequenti vero forum significari videtur. Inde ad minimum oriatur ambiguitas quaedam. Deinde in applicatione ad concursum nullo modo probat, concursum ad se trahere actiones alibi iamiam iure institutas, sed potius affirmat, caussam in eo iudicio, vbi semel sit instituta, esse terminandam. Praecipue denique legis determinatio ad continentiam possessorii et petitorii in eodem foro ordinandam restricta videtur, quam *L. 2. Cod. Theodosi, de iudiciis*

C

(II. 18.)

(II. 18.) ex qua supra relata lex desumpta est, generalioribus concepta sit verbis, determinatamque minetur poenam, „quintae scilicet portionis aestimationis rei integræ a).“ Quare Iustinianum illam corrigeret et emendare voluisse, credibile est. — Huic legi subiungenda videtur *L. 61. D. de iudiciis* (V. 1.) quam SALGADO DE SAMOZA citat b) haec verba continens: *Solemus quidem dicere, id venire in iudicium, de quo actum est inter litigantes. Sed Celsus ait, periculose esse, ex persona rei metiri, qui semper, ne condemetur, hoc dicit, non conuenisse. Quid ergo? melius est dicere, id venire in iudicium, non de quo actum est, ut venire, sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret.* Attamen haec lex, quamquam quoad ipsam decisionem aliquantulum obscura, primo adspicu iam ostendit, analogiam, si qua adest, illius ad concursum, omnino dubiam esse. De eo enim decisionem (iudicium) non ferendam esse iubet, de quo nominatim actum est, ne in iudicium veniret. In concursu inde sententia non ad controversias nominatim exceptas extendenda est. Quae consequentia magis contra thesin probandam, quam pro illa militat. Recensendum adhuc superest cap. 3. de rescriptis in 6. (I. 3.) his verbis instruendum: — — *Decernimus, ut si quis contra alium plures personales mouere voluerit quæstiones, non ad diuersos iudices,*

a) *Licet hanc legem quoad passum concernentem referre. Si quis contra hanc supplicaverit sanctionem, atque alium super principali quæstione iudicem postulaverit, ut rei, quæ petebatur, integræ aestimatione subducta, quintam portionem Reipublicæ eius civitatis inferat, in cuius finibus res de qua agitur, constituta est.*

b) l. c.

judices, sed ad eosdem super omnibus huiusmodi quaestionibus litteras studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo carent litterarum; nec processus habitus valeat per easdem, reo, si cum per ipsas citauerit vel fatigauerit, in expensis legitimis condemnandus. Sed etiam haec lex tantum de continentia non diuidenda loquitur, si unus creditor contra unum debitorem pluribus actionibus experiri velit. Praeterea verba: *ad eosdem*, dubiae sunt interpretationis; nec valet lex de actionibus iam pendentibus, quas concursum ad se trahere contendunt. — Superfunt adhuc nonnullae leges minoris momenti, quas theses defensores allegant <sup>c)</sup>, quarum tamen recensio non necessaria videtur. Ex supra relatis iam apparet, quam manca sit probatio legalis, ad summum eo se exserens, ut post motum concursum omnes actiones, ad satisfactionem ex bonis praesentibus tendentes, in foro concursus vniuersalis insituendae sint, quod quidem iam supra ut nou controuersum concessi. Minime vero ex iis constat, concursum esse iudicium vniuersale, et qua tale omnes actiones alibi pendentes et concursus particulares ad se trahere, in eo statu, quo fuerunt tempore moti concursus.

### §. 8.

#### *Argumenta et rationes analogicae.*

Progrediendum inde erit ad ceteras a defensoribus adhibitas rationes ac fundamenta analogica, eorumque analysis. Atque haec

- <sup>c)</sup> L. II. §. I. de Iurisdictione (II. I.) L. 5. §. 2. de heredit. petit, (V. 3.) L. 8. §. I. de liberali causa (XL. 12.) e. fin. X. de rescriptis (I. 3.)

C 2

rationes, licet maioris sint ponderis, magisque naturae concursus respondeant, tamen neutquam sufficiunt ad probandam regulam generalem, concursum omnes actiones alibi pendentes, pariter atque processus particulares ad se trahere, sed hoc tantum confirmant, executionem sententiarum alibi latarum contra communem debitorem, quatenus ad satisfactionem ex bonis tendunt, in ipso concursus foro petendam esse. Quod quidem singularis rationum expositio ostenderet, paucis nunc proponenda. Inter quas eminet illa, quam praecipue SALGADO DE SAMOZA <sup>d)</sup> multa eruditione demonstrare studet, huius argumenti: In concursu communis debitor omnibus cedit bonis, et vniuersum dimittit patrimonium, omniaque in creditores transfert iura. Cedit inde vniuersitatem bonorum, ex qua oritur vniuersale iudicium, quod efficit, ut omnes actiones creditorum spectantes in foro concursus ventilanda et ad illud trahendae sint. — Tantum vero abest, ut haec ratio sufficiat ad probandum, quae probari debent, ut potius adsit vera petitio principii, dum probatum sumit, ex cessione vniuersi patrimonii oriri iudicium vniuersale, omnes actiones ad se trahens, quod adhuc erat probandum. Nec exempla ab hereditate et peculio desumpta congruunt, nec quae ex his deduxit legibus allegatis confirmantur <sup>e)</sup>. Ne dicam tot concursus existere absque cessione bonorum; quare hoc fundamentum tantum de illis concursibus valeret, vbi cessio interuenit, nec ad omnes regula tradita foret applicanda, quod tamen absurdum. — Altera ratio, quam idem auctor aliique citant, haec est: Finis primarius concursus eo tendit, ut omnia bona

<sup>d)</sup> in Labyrintho Creditorum Parte I. Cap. 3. seq.

<sup>e)</sup> L. 50. D. de petit. hered. (V. 3.) L. 8. D. de inoff. test. (V. 2.)

bona debitoris praesentia inter omnes eius creditores ex ordine legali seu prioritate, ut dicunt, distribuantur. Quae quidem prioritas discutienda et determinanda est, dum omnes creditores iura sua ad haec bona nunc communia deducunt ac specialia iura praeclationis demonstrant. Fieri enim aliter non potest, ut iusta ac certa prioritatis feratur sententia, nisi omnes simul in unum iudicium concurrant creditores, et ab uno eodemque iudice omnium perspiciantur iura. — Vera haec utique sunt, quatenus illa iura creditorum, satisfactionem ex bonis communis debitoris respiciunt, quare iam initio paragraphi concessi, executionem sententiarum alibi latarum hoc tendentium in foro concursus simul petendam esse. Ast sententia prioritatis non tamen statim post initium concursus, vel emissam citationem edictalem fertur, sed tamdiu retardatur, quamdiu de veritate et quantitate debiti non constat; hinc ipsum argumentum remissionem litium alibi pendentium, quamdiu veritas et quantitas ibi non sunt determinatae, postulare mihi non videtur. Quin immo tam multae supersunt actionum et processuum species, huc minime referendae, quarum recensum infra in applicatione ad regulam traditam inuenies. Praeterea concursus solummodo bona praesentia afficit et de iis tantum praeclusio valet. Creditori non liquidanti inde in bona post concursum a debitore communi acquifita regressus manet, salvo beneficio competentiae f). In illius ergo arbitrio est, utrum liquidare velit, nec ne.

§. 9.

f) L. I. C. Qui bonis cedere possunt (VII, 71.)

## §. 9.

## Continuatio.

Aliud argumentum. Ex concursu oritur communio omnium creditorum, omniumque pars fit conditio, ita ut unus praeripere non debeat ceteris creditoribus, et is, qui post bona possessa debitum suum recepit, in portionem exaequandam vocandus sit g). Bonorum vero communium diuisio est finis concursus, ideoque certant creditores quasi iudicio communii dividendo, quod ex sua natura individuum est et inseparabile, atque hinc omnes actiones alibi pendentes ad se trahit. — Cui quidem rationi opponendum videtur, illam nil magis probare, quam supra nominata. (§. ant.) Communio enim se exserit tantum circa bona distribuenda in satisfactionem creditorum, minime vero circa personales praestationes debitoris. Nec exemplum a societate desumuntur quadrat. Actio enim communi dividendo praeponit condominium b), quod creditores non acquirunt i), nec admittit actiones ex iure personali ortas k), quae tamen in concursu praecipue in computum veniunt, nec creditores sunt locii, et ne litis quidem confortes, vi recte obseruavit GMELIN l). Fac ergo hoc exemplum convenire, et concursum efficere societatem, tamen adhuc foret probandum, ex fo-

g) L. 6. §. 7. D. Quae in fraudem credit. (XLII. 8.) GMELIN vom materiellen Concurs §. 9.

b) L. 4. pr. D. Communii dividendo (X. 3.)

i) L. 4. C. Qui bon. ced. poss. (VII. 71.) L. 3. D. de cess. bon. (XLII. 3.)

k) HELLFELD Iurispr. for. §. 737. in fine, in 2. 1. ad C.

l) L. c. §. II.

societate oriri iudicium omnes actiones etiam alibi institutas ad se trahens, quae vero probatio omnino difficilis videtur. — Ad alterum accedam argumentum a L V D O V I C I <sup>m)</sup> et G M E L I N <sup>n)</sup> aliisque prolatum et defensum. Concursum, inquit, efficit connexitatem et continentiam causarum; Leges vero saepius iubent, causas connexas non dividere sed in eodem ventilare foro; Prinde etiam in concursu omnes actiones cum concursu et per communem debitorem connexae pertractari et decidi debent, et alibi pendentes processus ad concursum sunt trahendi. — Sed quis non videt, heic mutationem adesse elenchi, saltumque in demonstrando esse commissum? Concursum enim tantum bona communis debitoris afficit, actionesque satisfactionem ex iis respicientes facit connexas. Quomodo inde affirmati potest, omnes actiones cum concursu et per communem debitorem connexas, ad concursum esse trahendas, si iam alibi pendent, quum leges tantum de actionibus instituendis, in quibus connexitas iam adest, loquantur, apud institutas vero connexitas per motum concursum postea superveniat. Multae enim supersunt actiones, quae quamvis connexae, tamen ad bona non pertinent, vel quarum connexitati, privilegium obstat. Et licet leges commendent et iubeant, actiones connexas in eodem foro instituire, tamen non simul praecipiunt, actiones iam alibi pendentes ob supervenientem connexitatem ad idem forum trahere. Hoc casu enim connexitas, ut dixi, per motum concursum superuenit. — Iam ad aliarn progrediendum erit rationem, quam assert M E V I V S <sup>o)</sup>: Eximit concursus debitorem specialibus actionibus, surrogat

<sup>m)</sup> Einleitung zum Concurs. Proces cap. I, §. II,  
<sup>n)</sup> I. c. ps. 2 f.

<sup>o)</sup> in decisionibus Parte 8. dec. 158.

rogat in eius locum corpus creditorum et quem constituunt curatores bonorum, bona omnibus facit communia et item communem. Speciales inde actiones alibi motae sunt sistendae, et ad forum concursus remittendae. — In quo vero argumento consequiam legitimo modo factam esse dubito, quum in praemissis de instituendis, in conclusione vero de institutis actionibus sermo sit. Inter ea hoc totum argumentum hac lege concedere possum, dummodo specialibus actionibus eae instituendae, quae ad satisfactionem ex bonis tendunt, intelligantur, nec lites alibi iam pendentes sistendas esse contendatur, sed tantum earum remissio, ad exequendam sententiam alibi latam, ad forum concursus requiratur. Quas omnes restrictiones etiam intellexisse M<sup>E</sup>V<sup>I</sup>V<sup>S</sup> ex contextu videtur, quamvis cum illo hand consentire queam in eo, quod actiones alibi institutae moto concursu sistendae et ante latam decisionem remittendae sint ad forum concursus.

### §. IO.

#### *Continuatio et Conclusio inde derivata.*

Nec minus notatu dignum videtur sequens argumentum. Est generalis aequitatique respondens regula: Nemo cum damno alterius locupletior fieri debet, nec inter plures aliquid in praeiudicium tertii valide agi potest. Iam si permitteretur unicuique, ius suum praestationemque sibi debitam singulari processu in alieno foro exigere, moto iam concursu; facilius eveniret, vt iudex non omnium singularium, quae sunt inter credidores, relationum gnarus, alterum alteri praeferret, atque ita in praeiudicium ceterorum creditorum ageret. Quod tamen sedulo evitandum est, quo tutius

omnia

omnia bona ex ordine legali inter creditores distribuantur. Ad quem finem obtinendum omnino inseruit, particulares processus sistere et ad concursum ipsum remittere. — Sed haec ratio ex probabilitate desumpta facile refelli potest. De praecidicio enim, quod bona, non quod personam debitoris spectat, est heic tantum sermo, quod tamen moto concursu nullo modo inferri potest. Statim enim post initium concursus a iudice conficitur ob- et signatio judicialis, et constituitur curator bonorum. Quo facto omnes alterius iudicis in haec bona praesentia existantia impediuntur ordinationes, nec quidquam in praecidicium et damnum ceterorum creditorum fieri potest. Opus perinde non est, ut processus alibi pendentes sistantur, atque ad forum concursus remittantur, eoque litispendentia turbetur. — Supersunt adhuc nonnullae minoris ponderis rationes, quarum quidem recensio, et si superuacanea videtur, tamen ex illis vnam eligere et heic subiungere liceat. Concursum nempe efficere talem credunt praeventionem et litispendentiam, ut non solum omnes actiones debitorem spectantes in ipsius foro instituendas sint, sed etiam alibi motae sistantur et ad concursum trahantur. Verum enim vero iam supra largitus sum, omnes actiones ad satisfacionem ex bonis debitoris tendentes post decreatum concursum in eius foro esse instituendas et de iis non esse heic sermonem, ut et executionem sententiarum in eundem finem alibi latarum tunc esse petendam in foro concursus. Hoc autem argumentum eiusdem, nedum maioris est ponderis ac reliqua supra memorata. Praeuentionis enim et litispendentia se exerit tantum contra processus adhuc instituendos, minime vero contra iam pendentes; insuper tantum afficit hoc loco bona debitoris, nec ad alias extendi potest

D

actiones.

actiones. — Ex quibus propositis omnibus tandem elucere videtur, etiam haec argumenta analogica non sufficere ad probandam regulam propinatam, concursum vniuersalem, qua iudicium vniuersale ad se trahere omnes processus alibi pendentes, nec minus concursus particulares in eo statu, quo fuerunt tempore moti concursus.

### §. II.

#### Rationes regulae contrariae.

Quae cum ita sint, potius sententiam regulae contrariam defendere, vel saltem ipsam valde restringere mallem regulam. Quae me ad hanc commouerunt opinionem tuendam rationes, paucis iam sequentibus proferam. Primum enim mihi non constare videtur de via, qua remissio processuum alibi pendentium ad iudicem concursus efficienda sit. Omnia enim media, a Ictis in hunc finem proposita non sufficiunt. Illam certe opinionem, quam fouet LEYSER p), sola nempe edictali citatione effici, ut omnes processus alibi pendentes sistantur et ad forum concursus remittantur, nemo probabit. Quomodo enim iudex alterius judicis competenti sola citatione edictali turbare potest? Et quis iudex vnuquam ob citationem edictalem alterius, lites coram suo foro ventilatas remisit citanti? — Nec minus caussae inhibitio et auocatio huic inferuit scopo. Vraque enim tantum a iudice superiori ad inferiorem decerni potest, minime vero a concurrentibus et inter se aequalibus. Quare hoc non in omnibus processibus et concursibus applicationem inueniret, sed tantum in iis, qui apud iudicem superiorem ventilantur. Pari ratione litterae requisitoriales a LUDOVICI 7)

ficioq; ibidem et 2) sp. 478. med. 9.

2) l. c. cap. I. §. 4.

et SALGADO DE SAMOZA<sup>r)</sup> suggestae, non omnino habiles videntur. Obstat enim illis naturalis regula, litem ibi ad finem esse perducendam, ubi semel copta est, a qua tamen quam minimum esse recedendum, defensorēs theses ipsi fatentur<sup>s)</sup>, et a qua fere in nullo alio capite iurisprudentiae receditur. Quin immo litem in eodem foro non contiuaturus ad hoc cogeretur, et refusione expensarum puniretur. Cur igitur, non solum absque iustis rationibus et absque ulla utilitate, sed etiam cum magno incommodo ab hoe principio indubitate discedamus? Nam si etiam secundum concessa (§. 8.) executio sententiae bona respicientis et alibi latae, in foro concursus est petenda, non video tamen, cur non decisio alibi de veritate et quantitate debiti impetranda sit, quae, si in ipso foro concursus esset decernenda, ad concursum pluribus ambagibus innodandum inseruiret. Est enim concursus processus summarius, a quo ex naturali indole omnes ambages et res non pertinentes sunt remouenda, omnia vero media contrahendae litis inseruientia sunt arripienda<sup>t)</sup>. Litis alibi contra debitorem instructae decisio est vero medium maioris litis in concursu restrictionis, quatenus circa determinandam veritatem et quantitatem praetensi obiecli litis versatur. Quae quidem determinatio alias in concursu foret insituenda. Nec negari potest, iudicem non tam multis litibus occupatum et caussam ab initio dirigentem, illam citius et melius dirimere posse, quam iudex, cuius animus multis aliis, difficultoribus et maiotibus caussis

r) I. c. Parte I, cap. 5.

s) CLAPROTHS summarische Processe §. 297.

t) Clem. Sæpe de verbis. Signif. (V. II.).

in concursu solitis, distrahitur. Et ponamus, processum particularem esse remittendum, tamen in illo nihil mutandum foret, sed in eo statu manere et continuari deberet, quo fuit in foro speciali; concursus enim subsequens non tollit ius antea quaesitum<sup>u)</sup>. Quae nam ergo utilitas ex hac turbatione litispendentiae redundaret? Quare ab illo principio, item in foro pendente esse finiendam, absque iusta ratione recedere volumus? — Praeterea particulares concursus in alieno territorio moti numquam remittuntur, nisi ad sint mutua pacta, illud determinantia<sup>v)</sup>. Obstant etiam leges germanicae<sup>w)</sup> et priuilegia de non euocando in iisdem fundata, nec ad statum Germanici Imperii applicari potest haec remissio causae specialis ad forum concursus vniuersale. Tandem etiam ratio, a regula tradita recedendi, esse videtur, quod tam multis subiecta sit exceptionibus. Quas singulas nunc lustrare et determinare tam instituti quam obiecti est. Qua de causa optimum erit, regulam controversam ad singula processuum genera applicare et inquirere, an et quatenus vel valeat, vel deficiat?

### §. 12.

#### *Applicatio regulae ad processum actiuum.*

Primum obuenit processus actiuus, in quo debitor actoris vices sustinet, et vbi plane non dubium est, quin regula praetensa in totum fallat. Siue enim ipse agat communis debitor, siue cura-

tor

<sup>u)</sup> ANT. FABER in Cod. lib. 6. tit. II. def. 2. n. 4.

<sup>v)</sup> STRYBEN in den rechtlichen Bedencken I Band, 118 Bed. 5. Band, 27 Bed. ab ENGELBRECHT in Observat. for. Obsf. 35.

<sup>w)</sup> Capitulatio nov. art. I. §. 8.

tor bonorum, vel mandatarius communis creditorum nomine contra alium, omnes actiones cuiuscunque generis sint, in foro rei instituendae, et institutae persequendae sunt. Recedi enim nequit ab illo principio indubitate, actorem oportere, sequi forum rei <sup>x)</sup>, quod et omnino in concursu valet <sup>y)</sup>, et proinde reus in proprio foro est conueniens, ibique executio exspectanda, si contra reum est pronunciatum. Si e contrario absolutio et forsitan ipsa condemnatio actoris in expensas est fecuta, moto concursu executio sententiae in foro concursus requirenda quidem, ast simul cum concursu est ventilanda. Eadem executio etiam locum haberet, si reus absoluatur et actor communis in expensas condemnaretur; quo tamen casu, victor concursui non immiscendus, sed extra eum solutio ipsi praestanda esset. Complexus enim creditorum tunc pro persona habetur morali, iudici concursus subiecta, et haec expensae sumitibus concursus connumerantur <sup>z)</sup>. Quid autem, si reus eodem vtitur foro, quo ventilatur concursus? Ne tum quidem causa concursui immiscenda, sed lis separato processu dirimenda est. Neque quidquam refert, vtrum actio ad augmentum massae, an ad alium finem tendat. Pari ratione communis debitor prouocatus, forum prouocantis sequi debet. Prrouocatio enim est medium praeparatorium, quod in ipsis prouocantis foro adhibetur,

<sup>x)</sup> L. 2. C. de iurisd. omn. iud. (III, 13.) L. ult. C. ubi in rem act. (III, 19.)

<sup>y)</sup> CLAPROTHS ordentliche Processe §. 101. n. VIII. et summarische Processe I. c. BOEHMERI Introductio in Ius Digestorum L. 42. T. 5. §. 17. LYDOVICI I. c. §. II.

<sup>z)</sup> GEMELIN Ordnung der Gläubiger bey dem Gantproceß cap. 2. §. 1.

nec cum principio, actorem forum rei sequi debere, pugnat, sed illi potius respondet <sup>a)</sup>.

### §. 13.

*Applicatio ad processum passivum,*

*A.) actiones reales respicientem.*

Iam ad alterum processuum genus accedo, de quo praecipue in quaestione nostra sermo est, et quem, qui thesin defendunt, intelligere videntur, processum nempe passivum, ubi debitor communis rei personam gerit. Qui quidem processus passivus, quamquam primo adspectu regulae saepe dictae plenum locum dare videatur, tamen curatiori disquisitione instituta, in totum fere ab ea reddit. Atque heic antea monendum est, quaestionem tantum esse de litibus in aliis foris, praecipue concurrentibus domicilio, iam pendentibus. Non respicit ergo eos, qui in ipso foro concursus ventilantur processus et ad satisfactionem ex bonis tendunt, quique simul cum concursu pertractandi sunt. Ita quoque in memoriam reuocanda videntur, quas supra (§. 8.) concessi, executionem nempe sententiarum alibi latarem contra communem debitorem in ipso concursu esse petendam, quatenus in ea satisfactio ex bonis urgeatur. Quibus praemissis controversia haud difficile dirimi et determinari poterit, si processum passivum ad actiones reales, personales et mixtas applicamus. Iam ergo priimum de realibus. Omne ius reale in regula ius separationis efficit, vi cuius actio inde nascens concursui immisceri non debet, nec res quam afficit, ad eum trahi potest

a) CLAPROTHS summarische Processe §. 271.

potest b). Et e natura cuiusvis actionis realis elucet, saepe consilii esse, eandem non in foro instituere domicilii, multo minus alibi pendentem ad forum trahere concursus. Prima species harum actionium rei vindicatio, praesertim praedii immobilis certe, multo melius in foro rei sitae instituitur, quam in vlo alio foro, quum in actionibus realibus praeципue hoc forum obtineat c), ibique hac actiones ventilari possint, licet alibi domicilium aut forum privilegiatum possessoris sit d). Quum praeterea lis etiam in foro concursus, separato tamen processu dirimenda foret, nescio, cur causa iam pendens, ante decisionem ad forum concursus remitti debeat, praecipue si forum est simul concurrens domicilii. In foro rei sitae vero sine ulla dubitatione, item ad finem usque pertractandam et executioni inhaerendum esse, constat, sive pro eridario, sive contra ipsum sit pronunciatum. Pono autem hoc casu, forum tam rei sitae quam concurrens domicilii, differre a foro concursus, neque ei subordinatum esse, neque acta haec tenus ventilata ad forum concursus iam esse remissa. Idem valet de servitutibus et aliis iuribus singularibus realibus. Si de iis constat, nec in dubiu vocantur, non opus est, vt recte docet GMELIN e) vt de iis agatur in concursu, quia vt rei inhaerentes in quemlibet transiunt rei possessorem. Si vero de iis lis iam pendet, vel actione confessoria vel negotatoria, usque ad finem ibi ventilanda et decisio exspectanda est,

b) GMELIN Ordnung der Gläubiger bey dem Gantprocess, cap. I.  
§. 16.

c) L. ult. C. vbi in rem actio (III. 19) L. 58. D. de iudiciis (V. I.)

d) HULLFELD in Iurispr. for. §. 519. CLAPROTHS ordentliche  
Processe §. 106.

e) I. c. §. 4.

quod quidem ampla probatione indigere non videtur f). An cui  
reditus e re quadam iure reali, non pro re ipsa, praestandi, e. g.  
ex iure hereditario, quoque a quolibet rei possessore petuntur, et si  
res concursui sunt immixtae, e massa durante concursu sunt sol-  
vendi g). Quod etiam valet de fructibus, e re in solutum data per-  
cipiendis, quippe quae omnes res ad concursum trahi nequeunt h).  
Priores enim cum onere reali redditum ex illis praestandorum in  
communem debitorem transierunt, posteriores vero ad corpus bo-  
norum referri nequeunt, quoniam per adsignationem, priusquam  
concursum oriretur, in patrimonio debitoris esse desierunt. Eodem  
modo ex iure hereditario ius separationis oritur i). Hereditatis pe-  
titione enim verus heres hereditatem, vel totam vel eius partem  
quotam vindicat iure reali ab eo, qui illam pro herede vel possessore  
possidet. In foro rei sitae ideo recte instituitur, ibique praeceps  
decisio est petenda, et si hoc a foro domicilii differt, non ad illud  
tamquam forum concursus, lis est remittenda. Curationi determi-  
natione opus est, in actione pignoratitiae maioribus difficultatibus  
laborante. Debitori, pignus datum a eridario repetenti, si modo  
satisfactionem debitam praestiterit, procul dubio ius est separatio-  
nis k), quod et competit ei, qui iam verum pignus, quem debitor  
communis rem acquireret, habuit, vel in venditione rei sibi domi-  
nium

f) CLAPROTHS summarische Processe §. 347.

g) HARPRECHT in Diss. Ius contractus vitalitii. in concursu Credi-  
torum §. 20. seq.

h) LEYSER Spec. 479. med. 8. et 9.

i) Ius separationis mihi hoc paragrapgo et in sequentibus est ius sepa-  
ratam actionem extra concursum instituendi.

k) L. 9. §. 3. 4. 5. L. 18. D. de pignoratitiae actione (XIII. 7.)

nium et hypothecam referuauit <sup>l)</sup>). Creditor vero, pignus verum possidens, retentione illius se tueri nequit, nec instar domini eo uti, sed illud ad corpus bonorum remittere, et satisfactionem inter ceteros creditores petere debet, <sup>m)</sup> nisi jura particularia aliud statuant. Ex quibus omnibus tantum colligere licet, omnem actionem realem producere jus separationis in concursu. Quodsi vero jam in ipso foro concursus res vindicanda a processu illam respiciente separari debet, eo magis principium, item ibi finiendam esse, vbi semel copta, observandum est, praecipue si in foro, ab isto concursu diverso, vel rei sitae, vel domicili pendet, et hoc ob varias rationes foro concursus praferendum est. Ideoque et in processu passivo ratione actionum realium, remissionem litium alibi pendentium quoque non faciendam esse, satis evictum videtur.

### §. 14.

#### *Applicatio ad processum passivum*

B) respectu actionum personalium et

C) mixtarum.

Verum etiam si actiones reales alibi pendentes ad forum concursus trahi nequeunt, tamen regula tradita in actionibus personalibus et mixtis valebit? Has enim defensores theses praincipue intel-

<sup>l)</sup> CLAPROTHS summarische Processe §. 388. lit. H.

<sup>m)</sup> GMELIN I. c. §. 7. Alias haec quaestio est admodum controversa, et ideo conferri merentur, quae habet MÜLLER in promtuario iuris novi, voce Concursus Creditorum n. 66. longa serie exposita.

ligunt, et accurate loquentes regulam ad eas restringunt. — Hu-  
jus autem contrarium affirmare et quantum potero deducere, in ani-  
mo mihi est. Actione enim personali petitur praestatio vel fa-  
cti vel rei cuiusdam. Si prius, et actione mere personali agitur ad  
factum praestandum contra communem debitorem, certe lis nullo  
modo ad forum concursus trahi poterit, sed interdum in alio foro,  
licet ne concurrens quidem sit domicili, insituenda erit. Fingas  
casum, advocatum quemdam accepisse summam pecuniae, ad venti-  
landam litem pro altero in alio foro, et jam initium fecisse obliga-  
tionis susceptae adimplendae. Nunc bonis labitur et pecuniam  
dans postulat continuationem suscepti processus. Nonne in foro, ubi  
illa lis ventilatur, agendum ipsi erit, licet illud non sit forum con-  
cursus vel concurrens domicili? <sup>n)</sup> Et ita omnes personales actio-  
nes ad facti praestationem tendentes in alio foro competente insi-  
tui possunt, nec ad forum concursus trahuntur, nec citatione edi-  
ctali et praeclusione amittuntur <sup>o).</sup> Concursus enim respicit tantum  
bona debitoris et satisfactionem ex iis redundantem, actiones mere  
personales vero magis personam debitoris tangunt et factum ab eo  
praestandum. Neque, si non solum factum, sed etiam praestatio  
eius quod interest petitur, et processus ideo iam alibi pendet, re-  
missio ad forum concursus necessaria est. Potius aestimatio eius  
quod interest in foro litis pendens facienda, et haec postea in ipso  
concursu est petenda. Quid autem de personis priuilegiatis praes-  
tationibusque ab iis exigendis valeat, infra pluribus exponam. —

Sin

<sup>n)</sup> Confer. MEVIVS P. I. Dec. 234. peculiari decisione hunc casum  
determinans.

<sup>o)</sup> LEYSER sp. 490. med. 4. CLAPROTH 1. c. 5. 347.

Sin vero actione personali agitur ad rem promissam consequendam, etiam processus in alio foro pendens ibi permanere debet, et sententia de debito exigendo illic est ferenda. Executionem vero huius decisionis in foro concursus petere licet. Rationes cur etiam hoc casu a regula tradita et communis opinione illam defendantem recedam, iam in antecedentibus adduxi. Ostendi enim, nec leges nec argumenta sufficere ad probandam thesin propositam, sed potius iustas rationes et principia indubitate obstantia adesse, cur non concedendum sit, processus particulares alibi pendentes ad forum concursus trahi in eo statu, quo fuerunt tempore moti concursus. Si ergo haec regula praetensa in actionibus personalibus negari poterit, eo minus in actionibus ex iure reali et personali mixtis valebit. Quarum species sunt praecipue, quae ex iudiciis diuisoriis et in genere ex administratione oriuntur actiones, tam iure reali ad diuisionem et restitutionem rei, quam personali ad rationes reddendas et damna data resarcienda tendentes p). Quas omnes etiam alibi iam pendentes non ad forum concursus remittendas esse opinor, sed si ex iis reparatio eius quod interest peti poterit, huius aestimationem in foro litis pendantis faciendam, de illius executione autem in foro concursus agendum esse.

### §. 15.

#### *Applicatio ad processum ex conuentione et reconuentione mixtum.*

Quibus praemissis reliqui casus facile decidi poterunt, nec iis longius moror, quae superfunt, generibus processuum. Interim

p) §. 20. Inst. de Actionibus L. 28. et 37. §. I. de O. et A. (XLIV. 7.)

praincipia, et in quibus adiuuantia obueniunt principia adhuc erunt referenda, ad absoluendam eo perfectius disquisitionem, quatenus regula vel in totum vel in tantum fallat. Accedam igitur ad processum ex conuentione et reconuentione mixtum. Reconuentio innoluit prorogationem fori, ut dicunt necessariam, vi cuius is, qui alterum actione persequitur, in eodem reconuentioni subiicitur foro <sup>q).</sup> Est ei porro effectus simultanei processus, ita ut eodem tempore, processu et foro, haec reconuentio ventilari debeat <sup>r).</sup> In applicatione vero ad regulam in controuersiam vocatam, si nempe lis iam in alio, quam concursus foro pendet, duo distinguendi sunt casus, alter si debitor communis actoris et reconuenti vices gerit, alter si personam rei et reconuenientis sustinet. Priori Casu, certe nemo dubitabit, item in foro quo pendet esse persequendam. Adsum enim indubitate iuris principia saepius citata, actorem sequi debere forum rei, et pati, ut ipse in eodem reconueniatur foro; quae principia litispendentiam ob superuenientem in alio foro concursum turbari vetant. Posteriori casu vero, quum scilicet debitor partibus rei et reconvenientis fungitur, idem valere existimo. Adebat enim vera praeuentio, et obtinet principium saepius memoratum, item ibi finiendam esse, vbi semel est copta. Praeterea hoc casu magis in fauorem debitoris reconuentio applicatur, quam in fauorem actoris, quum ipsi licet in proprio foro agere, et si non sit forum concursus, quod semper fere pro commodo habetur. Iam si uno aut altero casu contra debitorem sententia est lata, et eius ex-

<sup>q)</sup> L. 14. C. de sentent. et interlocut. (VII. 45) L. 22. D. de iudiciis (V. 1.) L. II. §. 2. D. de iurisdict. (II. 1.)

<sup>r)</sup> Nov. 96. c. 2. §. 1. c. 1. X. de mutuis petit. (II. 4.)

executio ex bonis est petenda, haec ad forum concursus remitti et in ea una cum concursu procedi debet; sii vero bona non afficit executio, concursui quoque immisici nequit, sed a iudice decidente est exequenda. Sententiam quoque in hoc genere processus pro communi debitore latam exsequitur iudex competens, nec in eo celsio bonorum vlam producit mutationem. Neque ius de non euocando huic obstat reconuentioni, vt recte obseruat MEVIVS<sup>1)</sup> et in his terris expressa legi sanctum est<sup>2).</sup>

### §. 16.

*Subiungitur quaestio:  
an sola professio debiti, fori competentiam  
ad reconventionem fundet?*

Liceat hoc loco paululum inquirere in questionem admodum controuersam, et quamvis haud raro obveniat, tamen adhuc nusquam enucleatam. Est enim lis, vtrum sola debiti professio in concursu post emissam citationem edictalem adeo fori competentiam fundet, vt contra profitementem in foro concursus reconveniendo ab actore communi agi possit, nec ne, ideoque exceptioni fori incompetentis locus dandus sit? Quae ab utraque parte profertur argumenta haud parvi sunt ponderis. Pro affirmante enim militat, quod creditores in omnia iura et obligationes debitoris succedant, atque hinc personam debitoris gerant, et eorum nomine

actor

<sup>1)</sup> Ad Ius Lubeccense Lib. 5. Tit. 3. Art. 4. n 23.

<sup>2)</sup> Ordinatio iudicij aulici et provincialis P. 2. Tit. 20. §. 1. Ordinatio Cancellariae Güstrow. P. 2. Tit. 20. §. 1.

actor communis agat. Porro hanc sententiam tueri videtur conexitas causae, fundamentum reconventionis continens; quodque prorogatio fori ad effectum reconventionis instituenda per solam insinuatam citationem efficiatur, cum haec alias iam praventionem et litispendentiam pariat <sup>u)</sup>, et huius locum in casu praesenti citatio edictalis teneat <sup>v)</sup>. Nec desunt Doctores sententiam hanc amplectentes <sup>w)</sup>. Privilegium quoque de non evocando huic opinione haud repugnat, quinque neque reconventionem impedit, neque connexitatem causarum turbet <sup>x)</sup>. Attamen quae ab altera parte negante iactantur rationes, maioris momenti esse videntur, ita ut illam sententiam sequi mallem, Re enim accuratius considerata, notionem reconventionis nullo modo ad casum praesentem quadrare inuenimus, quippe quae mutuam actionem inter eundem actorem, eundemque reum postulat, uti expresse leges iubent <sup>y)</sup>. Hi autem non adsunt, sed reconveniens et reus sunt diversae personae. Professio enim debiti, quae actionis loco adsumitur, solummodo contra debitorem facta est. Reconveniens vero est actor communis, creditorum nomine agens, quibus tamen profitens ipse adnu-

<sup>u)</sup> L. 7. D. de iudicis (V. I.) c. 19. X. de foro compet. (II. 2).  
c. 20. X. de officio et potestate iudicis delegati (I. 29.)

<sup>v)</sup> WERNHER in Observ. for. P. 4. Obl. I. n. 126.

<sup>w)</sup> BRUNNEMANN processus concursus cred. c. 3. §. 12. ibique STRYCKIUS ad vocem reconventio. BERGER elect. disc. for. T. 6. O. I. n. 5.

<sup>x)</sup> MEVIVS ad ius Lub. I. c. STRYCK ad LAYTERBACH pag. 282. in MOLLENBECCI thesauro n. 5.

<sup>y)</sup> L. II. §. I. D. de iurisdictione (II. I.) L. I. §. 15. D. de extra-ordin. cognit. (L. 13.) tot. tit. X. de. mutuis petit. (I. 4.)

adnumeratur. Praeterea haec reconuentio contra actionem principalem omnium creditorum pugnaret, qui contra semet ipsos agere videri possent. Ex quibus omnibus iam patet, contrariam defendi non posse sententiam. Non sufficit enim semper aliqualis connexitas ad effectum prorogandae iurisdictionis, sed expressa legis definitio ad hunc finem requiritur. Nec sola professio debiti talem efficit prorogationem fori, qualis ad effectum reconventionis est necessaria, ut etiam citationi edicitali hic effectus nullo modo tribui potest, quippe cuius effectus multo differunt ab alia citatione arcta toria, si ordinaria actio praecessit <sup>z)</sup>). Neganda inde est quaesito, utrum sola debiti professio fori competentiam adeo fundet, ut ex ea reconueniendo contra profitementem agi possit. Et ita iudicauit amplissimus quandam ordo ICTORUM Bützoviensium anno 1765. in causa actoris communis NEHLSCHER creditorum, contra mercantorem BECKMANN. Interim tamen hanc sententia ad solam debiti personalis professionem restringenda erit, minime vero ad actionem aliam vel contra debitorem, vel contra corpus bonorum ipsum, post citationem edicalem emissam in foro concursus motam extendi poterit, quippe in quibus reconventionem omnino locum habere, opinor.

§. 17.

<sup>z)</sup> Eiusmodi citatio quidem cum provocazione ad agendum analogica, ex L. Si contendat 28. D. de fidei usq; comparari solet. Tertium quoque comparationis in eo positum videtur, ut finis liquidationis subsequentis ad eandem tendat satisfactionem solutionemque, quae ordinaria obtineri solet actione. Differentia autem adeo specifica in defectu rei, qui in privata quidem adeo provocatione, in publico autem deficit proclamate, cuiusque vicem nec actor communis nec curator bonorum gerit, quippe qui ambo negotia non debitoris, sed eiusdem creditorum in complexu gerunt.

---

### §. 17.

#### *Applicatio ad processum secundae instantiae.*

Iam ad ipsum thema propositum reuertor, tentando regulas praetensae applicationem ad processum remediis tam suspensivis quam deuolutiuis prolatum. Antea autem effectus generales horum remediorum in memoriam erunt reuocandi, qui in eo potissimum consistunt, ut sententiam a viribus rei iudicatae suspendant et efficiant, ut pendente appellatione omnia in eodem statu manere debeant, nec quidquam innouari queat a) et si quid in praeiudicium unius fecerit iudex, attentati reus sit b). Remedia inde mere suspensiva, quum per suam naturam in eodem foro maneant, etiamsi interea concursus creditorum vel actoris vel rei ortus sit, ibidem novam efficiunt disquisitionem. Atque etiam in causa appellationis res omnino clara est. Nam in hoc remedio suspensio et deuolutio remittitur secundum regulam caussa ad iudicem superiorem. Litem autem ad iudicem superiorem deuolutam per motum concursum ad inferiorem retrahi posse iudicem, hoc omnibus iustis et analogicis contradicit principiis, et certe nemo affirmabit. Quin immo MÜLLER c) opinatur, ipsum debitum, cuius caussa in foro appellationis ventilatur, non trahi ad concursum, cui tamen opinioni

a) L. un. D. nihil innovari appell. interpol. (XLIX. 7.)  
 b) c. 19. X. de iudicis (II. 1.)  
 c) in promulgatio voce: Concursum cred. n. 231. Quum vero ibi citatoz ratiō diff. i. str. v. c. II de debitis ad concursum non pertinentibus, non sān promulgi mili non fuit, sola ejus allegatio iam sufficiat, absque ulteriori rationum expositione.

latae, simulac bona debitoris respicit, ad forum concursus, licet iudex sit inferior, remitti debet. Nam circa haec bona eius competentia et praeventio est fundata, nec alius iudex post decreta concursus formalia quidquam in praeiudicium ceterorum creditorum constitutere potest. — Sed quaeri posset, num in causa tempore moti concursus in alio foro pendente, et cuius decisio postea sequuta est, in eodem foro remedium suspensuum vel ipsa appellatio admitti queat? Quam questionem utique affirmandam esse, credo. Si enim pro debitore communī pronunciatum est, nihil restat dubitationis, modo generatim grauamina sufficientia quoad materialia adsint. Sed ne tum quidem, quum contra debitorem communem sententia est lata, appellationem vel remedium suspensuum denegari posse, opinor. In foro enim litis pendentis quaecunque in determinanda veritate et quantitate debiti versantur, ventilari debent. (§. 11) Quae vero determinatio tamdiu non adest, quam res iudicata deficit. Quum praeterea appellatio in ipso concursu locum habeat <sup>d)</sup>, non est, cur non etiam in casu ultimo admittatur. Semper tamen executio sententiae, debitoris bona resipientis, ad forum concursus remitti debet. Ceterum et hic valet, in communī causa ceteris confortibus, in eadem sententia, ob eandem causam individuam condemnatis, unius appellationem professe <sup>e)</sup>, condemnationem autem illius subsequentem, sociis non nocere. <sup>f)</sup>

## §. 18.

<sup>d)</sup> M E V I V S Parte I. Dec. 210. P. 3. Dec. 223.

<sup>e)</sup> L. 1. 2. C. Si unus ex plur. appell. (VII. 68.) L. 10. §. 4. D. de appellat. (XLIX. 1.)

<sup>f)</sup> L. 3. §. 2. D. de appellat.

F

---

### §. 18.

#### *Applicatio ad processum summarium.*

Si porro a processu ordinario ad summarium progradimur, ibi etiam inuenimus, fieri non posse, ut lites coram alio iudice pendentes, nato concurso ad hoc forum remittantur. Instituti quidem non est, omnes huius processus species recensere, ast sufficiet in potissimum ostendere, eas sua natura non solum in foro litis pendentis ad finem perducendas, sed etiam interdum in alio esse insituendas et exequendas. Atque heic primum occurrit possessoriū tam summarium quam summarissimum. Vtrumque enim in foro rei sitae est insituendum *g*), nec idem possessoriū de eadem re ad plura iudicia trahere licet *b*), et proinde etiam executio in eodem foro est perficienda, nec ad concursum remittenda *i*). Neque etiam, quum possessoriū in foro rei sitae ventilatur, motus concursum in eo quidquam mutat, sed causa separato processu tractatur. Et quum lex aperte iubeat *k*), „vt super principalī quaestione idem iudex postuletur atque super possessione,“ omnino in eodem foro lis in petitio erit terminanda. Cuius vero decisio, si cetera debitoris respicit bona, ad forum concursus quoad executionem remitti debet. — Alteri speciei processus summarii, pro-

*g*) L. un. C. vbi de possess. agi oport. (III. 16.) CLAPROTHS sumpm. Processe §. 29. VINNII selectae quaest. lib. I. c. 18.

*b*) GRAMER obs. iur. universi T. 4. Obs. 1198.

*i*) CLAPROTH I. c. § 347.

*k*) L. IO. C. de iudiciis (III. 1.) Dissentit quidem WERNHER T. 2. P. 8. Obs. 401., ast me quidem iudice absque iustis rationibus.

cessui scilicet cambiali plerumque forum peculiare est constitutum, et tunc quaesito ex illius ordinationibus et usu fori est decidenda. His vero deficientibus forum domicilii ordinarium, vel contractus initii <sup>1)</sup>, vel ubi implementum ex placito contrahentium sequi debet <sup>2)</sup>, forum est competens. Litis cambialis decisio quoque in foro litis pendentis est facienda, ast moto concursu non porro in personam debitoris exequenda, quum non habeat, unde satisfaciat, sed eius executio ad ipsum concursum remittenda <sup>3)</sup>. In concursu autem creditor cambialis pro chyrographario habetur, nisi hypotheca sibi prospexerit, vel speciali lege ipsi priuilegium concessum esse docere queat <sup>4)</sup>. Si vero de quantitate et veritate debiti iam constat, processus executivus per prouocationem debitoris ad concursum omnino sisitur, et creditorem in foro concursus creditum profiteri oportet. Idem obtinet in analogico heic loci valente iure peregrinorum, *Grafrrecht* vulgo diclum, ita ut processus executivus sisatur, simulac debitior ad concursum prouocat. — Porro caussae spolii et arresti semper in foro rei sitae sunt tractandae, et prioris executio in ipso foro litis pendentis facienda, posterioris vero ad forum concursus plerumque remittenda est. In caassis enim spolii

de

<sup>1)</sup> L. 19. §. 1. 2. L. 45. D. de iudicis (V. 1.)

<sup>2)</sup> L. un. C. ubi conven. qui certo loco (III. 18.) L. 3. D. de reb. auct. iud. poss. (XLII. 5.) L. 21. D. de O. et A. (XLIV. 7.)

<sup>3)</sup> An post motum concursum adhuc contra debitorem cambialiter agi possit? de eo inter ICtos disputatur. Conf. BRUNNEMANNI proc. concursus ibique STRYCKRIYS ad verbum; suspenduntur. MÜLLER in promtuario voce: cambium in concursu creditorum.

<sup>4)</sup> LEYSER sp. 133. med. 3.

de possessione et saepe de dominio sermo est, quare ex eius execu-  
tione, siue sit commoda siue incommoda, nulla iniusta laesio est  
metuenda. In caassis vero arresti, plerunque de credito exigendo  
agitur, cuius executio ad forum concursus remitti debet, nisi ad  
dominium spectant actiones. Quae de ceteris speciebus processus  
summarii, processu nempe executivo in specie, mandatum vel sine  
clausula, prouocationibus, et reliquis valeant, facile ex antea dictis  
diuidicari poterunt. Semper enim manet regula: lis ibi est finienda  
vbi semel est copta, et proinde omnes caussae, quatenus in deter-  
minanda veritate et quantitate debiti versantur, in foro litis pen-  
dentes manent, earumque decisio, si contra debitorem facta, in  
finem executionis ad forum concursus remittitur. Sin vero ius  
reale et in specie dominium spectat litigium, et res litigiosae juris-  
dictioni iudicis sententiam ferentis obnoxiae sunt, omnino in eodem  
foro executio peragitur.

### §. 19.

#### *Applicatio ad processum priuilegiatum.*

Absolutis iam speciebus processuum, inquirendum adhuc erit,  
quid ratione caussarum priuilegiatarum et earum praecipue, quibus  
speciale forum est constitutum, valeat. Etenim enim potest, ut  
debitor communis plures sustineat personas, vel etiam diversa bona  
possideat, specialibus foris subiecta, ideoque pluribus sublit foris  
priuilegiatis. Quantus enim est eorum numerus! Adfunt curiae  
feudales, concilia academica, consistoria, iudicia militaria, patri-  
monialia, inferiora, pupillorum, mercatorum, cambiorum, nau-  
gationis

gationis cet. cet. quare facile concursus jurisdictionum exsistere potest. Atque etiam has caussas ad forum concursus esse remittendas, DD. contendunt p), id quod neutquam concedere possum. Distinguendum esse potius existimo inter caussas ratione obiecli litis vel realiter, et ratione personae rei vel personaliter priuilegiatas. In caussis realiter priuilegiatis obstat priuilegium, quominus auocari vel in alio foro institui queant, ergo ibidem executio est exspectanda. Debita enim et iura hisce rebus inherentia semper aliis praecedunt debitis communibus, nec concursus processui praeiudicium inferunt, et actor communis semper post motum concursum omnium creditorum, in iura debitoris succedentium, vices in lite sustinet. In caussis vero personaliter priuilegiatis idem obtinet, quod supra (§. 13. 14.) de processu passiuo affirmavi. Quatenus nempe actiones respiciunt praestationes personales, in foro litis pendentis manent ibique ipsa absoluuntur executio. Quatenus vero ad satisfactiōnem ex bonis tendunt, vel in foro rei sitae sunt exequendae, vel quoad executionem ad forum concursus remittendae. Liceat haec dicta exemplo paululum illustrare. Fac, nobilem quemdam bonis labi, qui ut feudi praedialis possessor et vasallus et miles sit. Hic subest foro ordinario rei sitae ob Landsassiatum, subest curiae feudali ut vasallus, subest iudicio militari ut miles. Iam si concursus in foro ordinario ventilatur, certe primum omnia, quae iure reali ipsum feudum respiciunt, quae ad nexum feudalem pertinent et ipsa debita feudalia proprie sic dicta, in curia feudali sunt tractanda, et, nisi fortasse ipsum corpus bonorum afficiunt, ibi etiam

p) CANNIGIESER in collect. dec. trib. Hass. Cast. T. I. dec. 131.

etiam exequenda. Ita etiam omnes pœfationes personales in spe-  
cie tales a communi debitore in foro priuilegiato militari recte exi-  
guntur, nec moto concursu iam pendentes ad illud forum remit-  
tuntur. Qui vero processus ad satisfactionem ex bonis tendunt,  
concurſus ad exequendum ad se recipit. Ex quibus omnibus patet,  
interdum plures particulares oriri concursus, vnde diſtinctio in  
concurſum allodiale et feudale enata eſt, cuius iam ſupra (§. 2.)  
mentionem feci. Et quum plerumque generale ſimul eſt forum  
priuilegiatum, ſaepius concursus in eo ipſo foro mouetur et foro do-  
miciſii adeo pœfertur. Si vero plura adſunt fora priuilegiata, etiam  
concurſus in uno horum priuilegiatorum pendens nihil mutat in  
principiis iam traditis, nec regula: priuilegiatus contra priuilegiatum  
utitur iure communī, exceptionē efficit. Eſt enim haec regula  
tantum de eodem genere priuilegii intelligenda, et res ſecus ſe habet  
in diuerſis priuilegiis, quum ſint vel realia vel personalia. Proinde  
hoc quoque cauſa cauſa priuilegiatae in proprio foro ventilantur et  
iam pendentes ibi permanent et deciduntur.

### §. 20.

*Quid ratione tertii, nexu quodam coniuncti,  
valeat?*

Supereſt adhuc, vt inquiram, quid iuriſ fit circa actiones  
contra tertios in alio quam concursus foro iuſtitutas, inter quos et  
communem debitorem coniunctio intercedit vel realis vel per-  
sonalis. Huc referenda videtur actio contra fideiuſſorem, cui qui-  
dem exceptio ordinis obſtat finito nondum concurſu, vt tentari  
queat,

queat, utrum creditori ex bonis debitoris principalis satisficeri possit. Qum autem haec exceptio est litis ingressum impediens, eo minus durante concurso alibi quam in foro fideiussoris ordinario ventilari, et ad forum concursus trahi potest <sup>q)</sup>. Porro huc pertinet actio contra correum. An huic moto iam concurso adhuc exceptio divisionis competit, dubium videri posset, quum communis debitor non sit solvendo; interim et hoc affirmare mallem, atque hinc eadem heic valerent, quae de fideiullione tradidi, ita tamen ut correus ratam solvere debeat propriam. His ad numero actionem contra tertium possessorem rei, hypotheca a communi debitore oneratae, et in hunc tertium postea translateae. Ast hunc tantum in subsidium conveniri posse opinor, quum litis denunciatio ad evictionem praefundam efficiat, ut finis concursus exspectari debeat. Denique heic memoranda videtur actio contra socium. Qum vero mors ciuilis societatem dissolvat, inde intelligitur, socium non nisi pro rata teneri illi, qui cum communi debitore nomine societatis contraxit. Si tota societas bonis labitur, an tunc contra singulos socios ratione bonorum ad societatem non pertinentium adhuc agi queat? est quaesito admodum controuersa. Cuius quidem curatiorem disquisitionem angustia temporis et spatii non permittit. Idem dicendum est de reliquis huc referendis specialibus actionibus praeципue adiectioniae qualitatis, quarum quippe determinationem ex antecedentibus facile perfici posse existimo.

## §. 21.

<sup>q)</sup> Evidem LUDOVICI in der Einleitung zum Concurs-Proces Cap. I. §. 7.  
contrarium tuerit et fideiussori exceptionem excusationis competere negatur, ast huic consentire nequeo, licet illa exceptio opponi debeat, nec a iudice ex officio suppleatur. Conf. HOEFFNERI commentarius ad Inst. §. 836, ibique citati Doctores,

---

**§. 21.**

*Objectionibus respondetur.*

Ex quibus omnibus iamiam satis perspicuum fore spero, regulam illam, concursum qua iudicium vniuersale ad se trahere omnes processus particulares alibi pendentes, in eo statu, quo fuerunt tempore moti concursus, quam maxime fallere, propterea quod primum et leges et argumenta satis probantia desunt, tum aliae leges et rationes graviter repugnantes obstant, denique illius regulae applicatio maximis vbiique premitur difficultatibus. Omnes enim actiones in alio foro pendentes ibi permanere, ibique decidi debent, et tantum ad forum concursus in finem executionis tunc sunt remittendae, quin sententiae satisfactionem ex bonis debitoris postulant. Et eatenus fortasse dici posset, concursum processus particulares alibi pendentes ad se trahere, licet reuera tantum executio requiratur. Omnes vero lites, omnesque sententiae latae, hanc satisfactionem non respicientes, in foro litis pendentis absolvi debent. — Sed obiici posset: Etiamsi concedere velimus, processus bona afficienes tantum post decisionem in finem executionis esse remittendos ad forum concursus, tamen argumentum supra (§. 8.) traditum adhuc obstaret, prioritatem scilicet determinari non posse, nisi de postulatis omnium creditorum constet, quae tamdiu incerta manent, quamdiu credita sua in foro concursus nondum profecti sunt, vel de iis adhuc in alio foro lis ventilatur. Neque hoc nego in caussis satisfactionem ex bonis respicientibus, si creditores in alio foro litigantes credita sua in termino liquidationis non profiterentur, quare quoque

quoque hoc fieri oportere necessarium duco, et simul indicare, item in alio foro jam pendere. Quod si factum est, poena paeclusio-  
nis evitatur et sententia prioritatis saltem ita concipi potest, ut crea-  
ditori in alio foro litiganti certus locus assignetur, sub conditione,  
si in lite alibi pendente sententia veritatem et quantitatem in eius  
fauorem determinaret. Atque eiusmodi eventualis prioritatis de-  
terminatio eo facilius concedi poterit, quo saepius solis liquidanti-  
bus in foro concursus, talis locus prioritatis conceditur, sub condi-  
tione ut veritatem et quantitatem debiti probent. Quin praeterea  
contradictorem statim post professionem creditorum his respondere  
oporteat ante sententiam prioritatis, et post eius publicationem in-  
iunctae probationes sint suscipienda, quibus omnibus certe ingens  
temporis spatium consumitur, consequens est, ad decidendam item  
in alio foro pendentem satis sufficiens adesse tempus. Moto enim  
concurso et actore communis rei vices sustinente, iudici alterius fori  
gravis ratio maturanda decisionis subministratur. Et fac, super-  
veniente sententia distributionis item nondum esse decisam, quid tan-  
dem? Certe pecunia, litiganti in alio foro destinata, vel ipsi sub  
eventuali cautione de restituendo in casum succubentiae solvi, vel  
ad depositum iudiciale recipi poterit. Qua alterutra via omnia in-  
commoda evitantur, neque quisquam laeditur. Ex quibus etiam  
perispicitur, sententiam meam, concursum non ad se trahere pro-  
cessus alibi pendentes in statu quo fuerunt tempore moti concursus,  
nullo modo hac obiectione infringi, sed potius sartam teclamque  
manere.

G

Haec

Haec sunt, quae de quaestione dicenda putavi proposita,  
acutiori lectoris relinquens iudicio, num assensum an dissensum me-  
reatur hoc tyrocinium primum meum academicum, eiusque bene-  
volentiae me semper et ubique commendans,



**FILIO ET RESPONDENTI**  
S. D.  
**PATER ET PRAESES.**

**O**b personae unitatem, quam patrem et filium intercedere dicunt, atque ob amorem, qui parentes iungit et liberos, naturalem, testimonium eorum reciprocum in regula reiicitur, admittitur autem in rebus domesticis et si veritas aliter haberi nequeat, aliaeque concurrent res fidem testimonii exaggerantes. Iam hic adest casus, ut practici loqui solent, in terminis.

Domesticum opus est elaboratio praesentis dissertationis, quod in seriis paschalibus et pentecostalibus proxime elapsis titubante quidem manu aggressus es, in quo tamen obviendo semper TE excitauit exemplum trium virorum nouem ante annos TIBI tam laudabiliter quam feliciter praeceundum, nunc iam honore applausuque fulgentium, qui viri, Domini scilicet Doctores SCHRÖDER et CRUMBIEGEL, ac Dominus Consul LÜDERS, nonsolum ex dissertationibus me Praeside publice defensis, sed ex aliis quoque scriptis palam editis, rei publicae nostrae litterariae iam dudum, ut merentur, innotuerunt.

Quod iam tum temporis his viris laude dignis publice praebui testimonium, quodque tantam inuenit Lectoris fidem, ut ducere harum dissertationum sub praefidio meo habitarum, partes

G 2 speci-

speciminum sustinuerint inauguralium, eodem nec *TIBI* deesse possum testimonio, me non exceperisse TE a modo agendi mihi vistato, praesidium nimirum non nisi propriis praebendi Respondentium laboribus, ut eo magis ad elaborationes excitentur comilitones ab ipsis publice exhibendas. In hocce testimonio, quod ad has attinet paginas, adsentient reliqui collegae mei aestimatissimi, quorum scholas *TV* quoque in triennio studiorum tuorum pridem etapso frequentasti.

Mens *TIBI* quidem erat, in instanti semestri hyberno exteris quoque adire musas. Ob feliciter restauratam autem academiam patriam, conuocatosque Antecessores eruditio*n*e illustres et fama perclaros, consilio mutato, studia hic locorum adhuc continuare decreuisti, cui ego tanto Iubentius adseui, quo certius duce experientia edocitus sum, quam excellentiores praebeant ex schola patria ad exteris musarum sedes ducti fructus.

Ne TE laudando me ipsum adulari videar, gratulatio*n*ibus supersedeo alioquin a Praefide Respondenti dari solitis. Rem ipsam loqui sinam!

Dabam Rostochii d. XXIX Augusti MDCCCLXXXIX.



ULB Halle  
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft

